




S. Cathar.ª a pud Formellam de Neapol: inscr.

STATUTA
FACULTATIS ARTIUM THOMISTICÆ, IN COLLEGIO PARISIENSI FF. PRÆDICATORUM INSTITUTÆ.





STATUTA
FACULTATIS ARTIUM THOMISTICÆ.

Charissimis in Christo Fratribus, Decano, Magistris, Baccalaureis, universisque Membris Thomisticæ Facultatis Artium.

Frater NATALIS ALEXANDRE in Sacra Facultate Parisiensi Doctor & Professor, in Majori Conventu & Collegio FF. Prædicatorum Studii Regens, & ejusdem Facultatis Conservator.

Studiorum profectum, pacem, & Legum observantiam.



ERUM vicissitudines humanarum, ac ratio ipsa, æquitas, prudentiáque postulant, ut in Legibus optimè ac sapientissimè

constitutis, propter varium publicæ rei statum, aut emergentia progressu temporis incommoda, mutetur interdum aliquid vel addatur. Id in Artium Facultate Thomistica, in hocce Regio Conventu & Collegio Generali S. Jacobi ad Studiorum fovendam ac promovendam æmulationem à Majoribus nostris instituta, præstare fuit operæ pretium. Mutato scilicet septem ab hinc annis, Pontificia, Regia, & Ordinis Auctoritate, Domus Regimine, & gravissimis inter ejusdem Facultatis Magistros ortis nuper dissidiis, ex quibus paci & tranquillitati Conventus & Collegii periculum etiam imminere videbatur: Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis FRANCISCUS DE HARLAY, Dux & Par Franciæ, Regiorum Ordinum Commendator, Sor-

bonæ Provisor, ferventis Controversiæ Arbiter appellatus; pro sua in Religiosas Societates, & in hanc præcipuè Domum charitate, nobiles Celsitudinis suæ curas ac providentiam ad eam componendam demittere dignatus est: pacem dissidentibus imperavit: Author fuit ut cedentibus duobus, qui de Conservatoris Munere contendebant, tertius à Doctoribus ejusdem Facultatis eligeretur: utque Leges & Statuta à R. P. Magistro Gentiano Billaud, bonæ memoriæ, in Sacra Facultate Parisiensi Doctore Theologo, & istius quondam Studii Primario Regente, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto promulgata, ad similium dissidiorum præcidendas radices, à gravioribus hujus Conventus Patribus deliberatione matura retracta-

rentur, & emendarentur. Has itaque Leges à Sapientiſſimorum Patrum Conſilio, cui aderamus, emendatas, explicatas; & in paucis immutatas, ut ſuus antiquitati ſervaretur honos: ab Illuſtriſſimo Archipræſule, cujus amorem ac beneficentiam in hocce Collegium, ipſámque Facultatem Artium Thomiſticam, perennibus conſignatam monumentis volumus, approbatas, in ejuſdem Facultatis Regeſto deſcribi jubemus, Typis, quamprimùm fieri poterit, mandari, ſtatis diebus publicè legi, atque ab omnibus Magiſtris, Baccalaureis, Candidatis, accuratè & religiosè obſervari. Sit primus hic Proviſionis noſtræ fructus, qui Conſervatoris Munus ſumma omnium Magiſtrorum, antea diffidentium, conſenſione, concordibúſque ſuffragiis Nobis

delatum, Illustrissimo Archiepiscopo electionem ipsam approbante & laudante, non alio consilio suscepimus, quàm ut eamdem Facultatem Artium Thomisticam, resecatis ac emendatis, si quæ obrepserant, corruptelis, optimis Legibus moderaremur, Studiorum profectui ac æmulationi consuleremus, pacem foveremus & charitatem; dignos tandem Artium Magistros creari curaremus, sacris Studiis, majoribúsque Gradibus præparandos.

CAPUT I.

DE LEGVM PROMVLgatione & Observantia.

SACRÆ Facultatis Parisiensis consuetudines, moréſque, quantùm fieri poterit, in

Thomiſtica Facultate noſtra ſerventur, his exceptis, quæ hiſce Statutis ſancita ſunt.

Leges annis ſingulis bis legantur in Scholaſtico Magiſtrorum, Baccalaureorum, & Candidatorum Cœtu, in ſecunda ſcilicet Thomiſtica, & prima Aulica, ne in illas ignorantiâ peccetur. Harum Præco Syndicus erit.

Legum contemptus vel negligentia, privatione Officiorum, Graduum, ordinis in argumentando vel reſpondendo, quin etiam ejectione ex Alma Facultate, pro gravitate delicti, non mulctis pecuniariis, coërceantur.

CAPUT II.

DE CONSERVATORE.

THOMISTICAM Facultatem uni Conſervatori

parere, ab eóque regi volumus, qui ex RR. Patrum Conventûs hujufce Filiorum ac Moderatorum Ordine à Magiftris eligatur.

Si quæ tamen graviora negotia feu diffidia emerferint, quæ Confervatoris auctoritate finiri aut componi non valeant, ad Confilium Patrum deferantur, cujus in judicio contendentes acquiefcant.

Ad Confervatoris electionem Fratres omnes Theologi Magifterii gradum in Alma Facultate confequuti, Parifiifque præfentes convocentur: fi varias in partes diftracti fuerint, obtineat fententia plurimorum.

Optamus ut in hac, cœteríf-que electionibus, pars quæ fuffragiis inferior erit, ad frequentiorem, ftudio pacis & honeftatis accedat, ut concordiffimis

ſuffragiis electiones celebrentur.

Conſervatoris electio in ſolemni Magiſtrorum ac Baccalaureorum Conventu publicetur. Primum honoratiorémque locum poſt Præſidem in Actibus Academicis habeat.

Vacante Magiſtratu, Almæ Facultatis Doctores infra dies octo Conſervatorem eligant: alioqui jus eligendi ad Quindecimvirûm Conſilium devolutum eſto; ſine quorum etiam aſſenſu nuſquam amoveri poſſit.

Acta Conſiliáque Magiſtrorum ejus Auctoritate confirmentur.

Si Fratres Theologos Facultatis ejuſdem Moderatores deficere contingat, Baccalaureorum directio ad ipſum ſpectabit, donec Stadio Philoſophico confecto Magiſtros inter adſcripti, ipſam per ſe moderari valeant.

CAPUT III.

DE DECANO.

DOCTORUM antiquior Decanus esto, cui omnia Facultatis membra subsint, & in his quæ ejusdem Regimen, ac Statutorum observantiam spectant, parere teneantur.

In Actibus Academicis, Paranympho excepto, primum Doctores inter honoris locum obtineat.

Cœterorum diriget Officiorum Administros, negligenter illa gerentes suspendere poterit, & ex Consilii Decreto penitus exauctorare.

CAPUT IV.

DE CANCELLARIO.

CANCELLARIUS eligatur à Magiſtris, qui dicendi vi & eloquentia conciliare poſſit honorem Facultati, cùm publicis Orationibus celebrabit Laureandos, & ipſorum altricem Philoſophiam. In Paranympho alterum à Conſervatore, aliàs à Decano ſecundum locum obtineat.

Laurearum diſtributioni, & Conſilio ea de re convocando præſit, cum prærogativa ſuffragii. Paranymphum confirmet, à Conſervatore confirmandus ipſe.

Honorarium à Novis Doctoribus ſolvendum recipiet, fideli-

ſtérque ſervabit; Decano, cœteríſque Magiſtris rationem redditurus. Pecuniæ porro de conſilio Conſervatoris in Religioſos uſus impendentur.

Literas Magiſterii Artium in Thomiſtica Facultate teſtes, ſecundùm formam præſcriptam dabit Cancellarius, ſubſcriptione ſua, ac Syndici, ejuſdémque Facultatis Sigillo, cujus Cuſtos erit, munitas: Quibus, ad majorem auctoritatem, & ne abuſus obrepant aliqui, ſubſcribet etiam Conſervator: Alioqui nulla ipſarum ratio habeatur, nec Artium Magiſtri cenſeantur qui Lauream contra Leges obtinuerint.

CAPUT IV.

DE CANCELLARIO.

CANCELLARIUS eligatur à Magiſtris, qui dicendi vi & eloquentia conciliare poſſit honorem Facultati, cùm publicis Orationibus celebrabit Laureandos, & ipſorum altricem Philoſophiam. In Paranympho alterum à Conſervatore, aliàs à Decano ſecundum locum obtineat.

Laurearum diſtributioni, & Conſilio ea de re convocando præſit, cum prærogativa ſuffragii. Paranymphum confirmet, à Conſervatore confirmandus ipſe.

Honorarium à Novis Doctoribus ſolvendum recipiet, fideli-
térque

térque ſervabit; Decano, cœteríſque Magiſtris rationem redditurus. Pecuniæ porro de conſilio Conſervatoris in Religioſos uſus impendentur.

Literas Magiſterii Artium in Thomiſtica Facultate teſtes, ſecundùm formam præſcriptam dabit Cancellarius, ſubſcriptione ſua, ac Syndici, ejuſdémque Facultatis Sigillo, cujus Cuſtos erit, munitas: Quibus, ad majorem auctoritatem, & ne abuſus obrepant aliqui, ſubſcribet etiam Conſervator: Alioqui nulla ipſarum ratio habeatur, nec Artium Magiſtri cenſeantur qui Lauream contra Leges obtinuerint.

CAPUT V.

DE SYNDICO.

AD Syndici Officium à Consilio eligatur unus è doctoribus Facultatis Thomisticæ Magistris.

Munus ejus erit, Baccalaureos dirigere, corripere; in Concertationibus Academicis, cùm opus fuerit, ad argumenta respondere, Arguentes & Respondentes, sicubi labuntur, impingunt, vel hæsitant, emendare; curare ut Actibus frequentes adsint, absentes absque venia Præsidis, Decani, & ipsius Syndici, privatione vini mulctare, de licentia & mandato Conservatoris; rebellium nomina ad Decanum,

Consiliúmque Magistrorum deferre, ut Legibus in ipsos agatur: in fine demum Licentiæ merita singulorum Consilio exponere, ut eorum ratio in Laurearum distributione habeatur.

CAPUT VI.

DE REGENTIBVS.

TRes Regentes eligantur, ad quos ultimus Doctorum in Alma Facultate præsentium quartus accedet. Baccalaureorum Theses legent, emendabunt, subscriptione sua probabunt. Hanc approbationem atque subscriptionem pro arbitrio negare, nefas ipsis esto; nisi Relatione ad Consilium factâ, Magistri ita sanxerint.

In Actibus Academicis, uno loquente, cœteri taceant. Doctor antiquior junioris responsioni aliquid addere poterit, servatis legibus urbanitatis, modestiæ, charitatis. Regentes, Doctorésque cœteri, ordine suo, Baccalaureorum persequi poterunt argumenta.

CAPUT VII.

DE MAGISTRIS.

MAGISTRI mutuo se honore prosequantur ac præveniant. Qui alterum in Concertationibus Academicis, aut Comitiis Facultatis, injuriâ affecerit, vel petulanter irriserit, hunc prima vice suffragii tum activi cùm passivi jure privatum

dicimus; iterum lapſum, ex albo Doctorum expungendum.

Bis ejuſdem nominis Actui in eadem Licentia, ſi fieri poteſt, nemo præſit, nec diverſis Actibus continenter. Omnes præſidere teneantur. Qui recuſaverint, ſuffragandi jure ad menſem plectuntor.

Si Reſpondentium ſit major quàm Doctorum numerus, nemo tamen iterum ejuſdem nominis Actui præſit, donec cœteri præfuerint, ut oneris & honoris æquo jure quiſque ſit particeps. Diſputationem ultra horam Præſes non protrahat, ut duobus ſaltem Baccalaureis diſputandi locus detur.



CAPUT VIII.

DE LAVREANDIS.

LAUREA Doctoralis nemini conferatur, nisi completâ Licentiâ, & biennio Cursûs Philosophici, in hocce Collegio, vel altero Universitatis Parisiensis, peracto.

Qui fuerit ad primam cujusque Licentiæ Lauream nominatus, nummum unicâ specie: qui postremus, asses quadraginta quinque: triginta verò unâ pariter specie, in suâ Inauguratione, secundùm laudabilem consuetudinem, Cancellario cœteri persolvant: aliàs jure suffragii non fruantur.

Gradu autem Licentiæ donari

prohibemus, nisi qui omnes & singulos Actus Academicos more solemni perfecerint, & Paranympho interfuerint.

Cum ipsis Sacerdotibus de nullo prorsus Actu Academico in posterum dispensari possit, seu Consilii, seu Conservatoris auctoritate.

In Actu Vesperiarum ludicra & scurrilia argumenta proponi prohibemus, aut aliqua inter arguendum aut perorandum dici, quæ Religiosorum Hominum gravitatem & modestiam non deceant. Qui in his deliquerint, præsidendi & suffragii ferendi jure ad sex menses priventur.

Conclusiones selectæ ex Morali Philosophia Disputationis à Cancellario & Regentibus in Actu Vesperiarum habendæ sint argumentum.

Eadem solemnitate celebre-

tur, qua reliqui Actus Academici. Duo tantùm Vesperiarum Actus una eadémque die peragi possint.

Qui ante finem Cursûs Philosophici discesserint; aut à Parapympho, absque causa legitima, & Conservatori probatâ, recesserint, in sequentem Licentiam rejiciantur.

CAPUT IX.

DE COMITIIS SIVE Consiliis.

PRIMA die cujusque mensis, nisi solemnis fuerit, & quoties postulabit necessitas, aut bonum Facultatis, Generale Magistrorum Consilium à Decano convocetur, cui præsit ipse cum

prærogativa suffragii : ita ut si æquas in partes divisa sint suffragia, pars illa vincere censeatur, in quam Decanus propendebit.

His in Comitiis de rebus Facultatis maturè deliberent; & ea, quæ Viros Religiosos Theologósque decet, gravitate. Ordine quisque suo sententiam dicat. Extra ordinem qui loquutus fuerit, nisi à Decano, aut ab eo, qui vice ejus præest, rogatus, vel petitâ priùs & obtentâ ab ipso licentiâ, eô in Consilio suffragandi jure hunc privatum declaramus. Consilii convocatio ad unum Decanum pertineat : Ad cujus nutum Doctorum ultimus de loco & tempore Congregationis Magistros admonebit. Schola Philosophorum conveniens erit Comitiis locus, non Cella Decani, aut cujusvis Ma-

gistri, ne in sacras Constitutiones, & Superiorum Sanctiones peccetur, quibus & mutuus in cellas ingressus vetitus est, & silentium in eisdem imperatum. Hora pro Decani arbitrio designabitur, Regularibus Observantiis, aut Lectionibus & Collationibus publicis non impedita.

Magistri, quorum absentiam à Consilio causa legitima non excusabit, ad mensem suffragio priventur. Eadem pœna mulctentur ad annum, qui Baccalaureis, aut aliis quibuscunque, præterquam Conservatori, Consiliorum arcana revelaverint. Omnes Facultatis Magistratus, præter Conservatorem, & Decanũ, Conservatoris, non Consilii correctioni, in his quæ Academicam Disciplinam spectant, obnoxium, amovendi, sicut & instituendi, sit penes Consilium auctoritas

In ſuis Congregationibus ac Deliberationibus Magiſtri juſtitiam & pacem conſociare ſtudeant. Pacis perturbatores è Doctorum Cœtu excluduntor.

Conſiliorum Acta in Regeſto Facultatis accuratè & fideliter ſcribat Syndicus, abſque verborum farragine; & ambagibus, præfationibus, digreſſionibus, aut jocis, ſimpliciter exponens capita à Decano in Comitiis propoſita & quid circa ipſa, deliberatum ſit & concluſum. Liber Conſiliorum ſit juſtæ molis. Una ſerie in eodem Libro ſcribantur, dum fuerit charta pura. Paginæ ſingulæ numeralibus notis ſignentur.

Conſiliorum Libri, ſeu Regeſta Thomiſticæ Facultatis, cùm vetera tum recentia, diligenter à Syndico ſerventur, qui Conſilii vel Conſervatoris juſſu illa, cùm

opus fuerit, exhibeat. Aliorum fidei non credantur. Si in aliqua sui parte violata fuerint, dilacerata, expuncta, vel interpolata, in criminis hujusce Authores & Conscios inquiratur, & probatâ facti veritate; omni Honore & Gradu in Thomistica Facultate priventur. Si sit incertus Author, Syndicus ab Officio amoveatur ob incuriam.

CAPUT X.

DE BACCALAUREIS.

THOMISTICÆ Facultatis Artium Candidati de Aulica respondeant, cùm primæ Licentiæ Baccalaurei ad Stadii metas pervenerint. Ut omnes responderint, de illorum Actibus ad

ad Conciliûm Syndicus referàt.

Quorum Aulica fuerit approbata, ſimul Examini ſe ſiſtant, die à Decano indicenda de conſilio Syndici, ac Regentum, à quibus eorum vires in Logicis tententur. Qui ſe ſubtraxerint Examini, ad reſpondendum de Tentativa non admittantur.

Decano, Syndico, Regentibus, cœteríſque Magiſtris, in iis quæ Academicos Actus ſpectant, Candidati & Baccalaurei morem gerant.

Aulica ex primis Quæſtionibus Logicæ, ex Tractatu de Univerſalibus, & ex Libris, Περιερμηνείας: Tentativa ex Categoriis, & Libris De Priori & Poſteriori Analyſi: Minor Ordinaria ex Metaphyſicis: Major Ordinaria ex Octo Libris Phyſicorum: Thomiſtica, quam & Sorbonicam appellari uſus obtinuit, ex

Libris de Cœlo & Mundo, De Generatione & Corruptione, & De Anima, novem Appendices contineant : Actus Vesperiarum sex è Morali Philosophia.

Thomistica & Major Ordinaria quatuor Horis durabunt, à septima scilicet ad nonam, & à prima ad Vesperas. Actus reliqui duabus horis, seu matutinis, à septima scilicet ad nonam; seu pomeridianis, à prima nimirum ad tertiam celebrabuntur.

In Thomistica & Majore Ordinaria, pomeridianis horis, postquam unus aut alter Baccalaureus disputaverit, pro ratione temporis, Candidati leviora proponent argumenta : unóque tenore probationem Propositionis afferent, quam negatum iri verisimile est.

Candidati & Baccalaurei responsuri Theses suas Decano,

Syndico, Regentibus, & Præſidi, decima-quinta die ante Reſponſionem legendas & approbandas offerant. Eiſdem ante dies octo in cappa & cum ſocio ſe ſiſtant, Concluſionum ſuarum probationes allaturi, ſeu ad Quæſtiones ſibi ab ipſis proponendas reſponſuri. Qui tardiùs id officii impleverint, ad horam in terra ſedentes reſpondeant, quàm pœnam Præſes ipſe condonare non poſſit. Qui verò illud penitùs neglexerit, loco excidat.

Baccalaureorum nemini diem Reſponſionis à Decano & Syndico ſibi præſtitutam recuſare liceat, modò octo dies ante Actum ſuperſint : alioquin omnium ultimus reſpondeat.

Ad Actus ſuos, in cappa & cum ſocio, pro more, triduo ante invitent Dominum Conſervatorem, R. P. Priorem hujus Conventus,

Sapientissimos Magistros nostros Studii Regentes, Patres à Consiliis, RR. PP. Baccalaureos, Magistros Artium, cæteróſque Thomisticæ Facultatis Magistros, cùm Sacerdotes, tum Novitios.

Prima Thomistica sive Sorbonica Feria secunda post Pentecosten, primus Actus Majoris Ordinariæ Feria tertia celebretur: deinceps Responsiones de utráqueThesi alternis fiant. His in Actibus, Respondens Baccalaureos disputantes Dignitatum suarum nominibus honorificè compellet, dicendo verbi gratia: Argumentatur Doctissimus Dominus Baccalaureus Præsentatus: & deinceps: Sic argumentaris Doctissime Præsentate. In sertis viritim offerendis laudabiles Consuetudines serventur. Primùm Præsidi, tum Domino Conservatori, deinde Rectori, majora & exquisi-

tiora ſerta honoris ergo porrigantur: æqualia deinde reliquis Magiſtris, eo quo ſedebunt ordine. Non dentur Sacerdotibus qui Magiſterii Gradum ac Lauream in hacce Thomiſtica Facultate conſecuti non fuerint. Ab hac Lege exceptos volumus RR. Quatuordecimviros Conventus Moderatores, quos in omnium honorum communionem cum Magiſtris admittimus. Præſidis primùm, tum Conſervatoris benevolentia à Baccalaureis diſputantibus, aut Oratoribus Academicis concilietur; cæteri Sapientiſſimorum Magiſtrorum noſtrorum, aut Virorum Academicorum nomine ſimul ſalutentur.

Diebus ſolemnioribus nulli Actus Academici celebrentur. In Concertationibus Academicis, uno loquente, ſileant, audiánt-

que cœteri : Præses neminem nisi arguendo vel respondendo loqui permittat. Inter arguendum aut respondendum quicquam vernaculo idiomate exprimi prohibemus, unámque linguam Latinam in Scholis, in Actibus, & Conventibus Academicis volumus usurpari.

Theses triduo ante Responsionem Sodalibus exponant Baccalaurei, ut in promptu semper habeant argumenta, & ordine Scholæ, vel ut fuerint à Præside nominati, disputent accuratè, nervosè, nitidè. Qui ordine suo disputare neglexerit, absque venia Præsidis, aut Syndici, loco suo privetur. Disputantes & Respondentes attento animo audiant reliqui. Libros legere, aliud agere, nugari qui ausi fuerint, prima vice in terra sedeant; secundâ loco priventur; tertiâ è

Facultate pellantur. Ab actu nemo absit, vel è Schola exeat, nisi petita & obtenta à Præside, vel Decano, & Syndico licentiâ. Initio Actus adsint singuli, sub pœnis ad arbitrium Præsidis, vel Decani, & Syndici, infligendis.

Qui Socios in Exercitationibus Academicis injuriâ affecerint, aut ludibrio habuerint, prima vice in terra sedeant integri Actus tempore, altera locum amittant, tertia ex Baccalaureorum albo expungantur.

Theses merè Theologicas Philosophicis non admisceant, neque Cartesiana, aut à communibus Scholæ Thomisticæ Sententiis aliena Theoremata.

Duo Priores Thomisticis Actibus, seu Sorbonicis, alternis præsint. Secundus de prima Sorbonica, Primus de postrema respondeat. Orationes habeant, quæ

nec prolixitate fatigent Auditores, nec ſtylo aculeato, contumelioſo, illuſorio Charitatem lædant. Has verò triduo ante Actum Decano tradant, qui ipſas leget, examinabit, & cum Conſervatore communicabit. Qui in hanc legem peccaverit, Officio privetur. In Orationibus Paranymphorum, cùm ab Oratore, tum à Baccalaureis lex eadem ſervetur, quæ Prioribus poſita eſt. Eadem Rector ipſe teneatur. Priores Actibus interſint quibus non præſunt, ſicut cæteri Baccalaurei, & in Majoribus Ordinariis ordine ſuo diſputent. Cùm præſunt, jus loquendi non habeant, niſi inter arguendum. Sex levioribus, & tribus gravioribus Mediis totidem Propoſitiones impugnent. Idem in Aulicis à Magiſtro Studentum ſervetur.

CAPUT XI.

DE RECTORE.

BACCALAUREI die Martis post Festum Ascensionis Dominicæ Rectorem communi consilio eligant unum ex Commilitonibus, doctum ac disertum, Philosophum & Oratorem, & qui in quadruplici Studentum Examine ingenii studiorumque laudem, Sapientissimorum Magistrorum nostrorum Prioris & Regentum Judicio, inter Insignes promeritus fuerit & consequutus. Electioni præsit Primus Præsentatus, eo renuente Secundus, & sic de cœteris. Rectorem in Schola & Actu solemni primæ Thomisticæ Decanus creabit &

confirmabit. Si quæ circa ejus electionem orta fuerit controversia, à Consilio Magistrorum, salvo jure Appellationis ad Dominum Conservatorem, judicabitur. Ad eosdem Jus electionis devolutum esto, nisi stata die à Baccalaureis facta fuerit. Actus Academicos Thomisticæ & Majoris Ordinariæ consueto perficiat apparatu, Doctorum instar infulatus. Cœterorum Baccalaureorum Actibus, eodem habitu, eadémque pompa adsit, & argumentetur post Præsidem vel Priorem, quo loco voluerit. Scholam ingredienti Baccalaurei assurgant. Disputantem Amplissimi Domini Rectoris nomine appellent. In Actibus & Paranympho cœteris emineat; post Præsidem & Conservatorem primas honoris habeat. Loqui verò nisi respondendo, disputan-

do, aut perorando, ipsi non liceat. Theses ipsi triduo ante Actum Baccalaurei responsuri offerant, ipsúmque ad disputandum honorificè invitent. A sumptibus extraordinariis ipsum temperare jubemus, ne his duntaxat qui sumptibus hujusmodi pares sint, non qui meritis præstent, Magistratus Amplissimus deferatur; & ne in regularem observantiam peccandi detur occasio.

CAPUT XII.

DE BACCALAVREORUM Nominationibus.

CANDIDATI diebus ante Pentecosten quindecim Decano & singulis Magistris

ſupplicent, ac ſchedulas viritim porrigant, ut eis convenientem in Thomiſtica Facultate locum aſſignent. Loca diſtribuant Magiſtri pro ratione meritorum, quæ in Collationibus Philoſophicis primo Curſus anno explorabunt, & ex Judicio Regentum ac Moderatorum Studii in duplici Examine metientur; nec privatis ſtudiis in Promotionibus indulgeant. Locorum ordo hic eſto : Primus, ſecundus, tertius, & quartus Præſentatus; Primus & ſecundus Prior; Magiſter Studentum unus & alter pro Candidatorum numero; Primus ac cœteri Arguentes. Majoribus verò noſtris placuit, ut poſtremus omnium Apparitoris vice fungatur.

Cùm Philoſophi certis diebus, pro more, aut ob cauſas extraordinarias immunitatem à Collatione

latione Philoſophica poſtulabunt, Primus Præſentatus, comitibus Collegis, Sapientiſſimos Magiſtros noſtros hujus Collegii Priorem, Regentes, & Magiſtros Artium conveniet, brevíque Oratione hanc à ſingulis gratiam rogabit.

Magiſter Studentum in diſputando ſubtilis & acer nominetur, qui Aulicis præſit, & ſtudiorum fervorem in ipſis Academicarum Exercitationum exordiis accendat. Candidati & Baccalaurei Latinè ſemper loquantur, tam in Scholis, quàm extra; ſuóque exemplo Dialecticos ad ejuſdem idiomatis perpetuum uſum urgeant & compellant. Magiſter Studentum invigilet ut Scholæ inferioris Novitii Latinè loqui aſſueſcant, vernaculè loquentes moneat, & modeſtè amantér-

que corripiat. Si monitis ipſius nihil tribuant, nec emendentur, eorum nomina ad Decanum & Syndicum deferat, qui ipſos arguant. Niſi paruerint, ad poſtrema loca in Nominationibus anni ſequentis detrudantur; & de illorum pertinacia certior interim fiat Conſervator.

Hâc (ut ita loquamur) Hierarchiâ, Studiorum æmulatio fovebitur, Thomiſtica Facultas Artium efflorescet, Magiſtri regiminis honore, Baccalaurei gloriæ deſiderio, Studentes infimæ Claſſis eorum exemplo, ſimiliúmque ſpe præmiorum, ad ſtudia diligenter, alacriter, indefeſsè colenda magis inflammabuntur. Honos enim alit artes, omnéſque incenduntur ad Studia gloriâ. DATUM in Muſæo noſtro, Pariſiis die XXI. Septembris an-

no reparatæ per Chriſtum ſalutis MDCLXXXIII.

F. NATALIS ALEXANDRE
Magiſter & Conſervator.

